



443

tumbis et sepulchris. Illo ergo suavi odore allecti diutius in sancti lapidis deosculatione mansimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Nec suffecit nobis tempus ad contemplandum aliquantulum ineffabilem nativitatem virginei partus, cui libentissime operam dedissemus. Sed quid dicere possemus de illa ineffabili nativitate peracta in isto loco, etiamsi omne tempus nobis daretur, cum excedat facultatem humani ingenii et eloquii, et intellectus humansus obruatur, et angelicus superetur magnitudinae hujus facti? Certe nihil. Quio tamen in hoc sacro loco apparuit Deus homo, verbum caro, immensus parvulus, aeternus puer, creator creatura, invisibilis visibilis, immortalis mortalis, omnia potens infirmus, dives pauper, dominus servus, coelum terra, sol tenebrae, ineffabilis patens; ideo, etsi ex una parte silere nos jubet immersitas, ex alia tamen loqui percepta praecipit bonitas. Non tamen alia loqui de hac nativitate licet, nisi ea, quae locuti sunt devoti et contemplativi et sancti Dei homines. Tradunt enim docti et Sancti, ut S. Vincentius Ordinis Praedicatorum, et Ludolphus Carthusiensis et Jacobus Carthusiensis, cujus sermones per apostolicam sedem approbati sunt, et Simon de Cassia, modum temporalis nativitatis Christi. Adveniente enim hora illius gloriosissimae nativitatis Christi, incepit puer in utero matris Virginitatis mirabiliter gaudere. Unde Psalmus: exultavit ut gigas ad currendam viam. Ex quo gaudio mater Maria repleta fuit ineffabili jubilo in immensum, plus quam Elisabeth a gaudio Johannis in ejus utero exultantis, et incepit facies Virginitatis rutilare et incandere, quod Joseph hoc videns obstupuit, et dixit: O domina Maria, quid est hoc insolitum, quod agitur tecum? Respondit Maria, modo, pater mi, venit hora partus mei. Et ubi, inquit, obstetrices? curram, et vocabo aliquas. Virgo hoc prohibuit, dicens: sicut in conceptione pueri illius nullus fuit coadjutor, sic in ejus nativitate nulla erit obstetrix. Et hoc dicto abscessit ad interiora diversorii, ubi erat specus, desuper pendente petra, et ibi in oratione se posuit, in ecstasin venit, et perfusa ardentissimo desiderio rapta in spiritu fuit, ut quasi semetipsam nesciret, an in corpore an extra corpus esset, sicut accidit Apostolo, 2 Cor. 13. Et inter haec corpus incanduit, quasi ferrum ignitum, et in hanc

458

456

462

452

467

447

407

357

Ende

Anfang